

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Winand Petersdorff von Nikolaus Wasmundt Friedrich Munderich

**De Quaestione Num Liceat Filio Interficere Parentem, Nefaria In Patriam
Molientem, Orationes Tres**

Rostochi[i]: Pedanus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728268612>

Druck Freier  Zugang





Ad-1028¹⁻⁸





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728268612/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728268612/phys_0004)

DFG

5

DE QVÆSTIONE
NUM LICEAT FILIO IN-
TERFICERE PARENTEM, NE-
FARIA IN PATRIAM MO-
LIENTEM,

Orationes Tres,
Scriptæ & in almâ Universitate ad Var-
num Balthicum publicè recitatæ

à
*Nobilissimis & doctissimis ornatissimisq;
Viris Juvenibus,*
WINANDO à PETERSDORF,
Equite Marchico,
NICOLAO WASMUNDT
ET
FRIDERICO MUNDERICH,
Neobrandenburgenibus Megapolitanis.



ROSTOCHII
Typis JOACHIMI PEDANI
ANNO M. DC. XVI.



Humanitatis cultoribus S.D.

Nihil ad vitam hominum potest
majus, nihil præclarius afferri, quām si pri-
vatū publicēq; vel omnes, vel multi, vel
plèriq; sic instituantur, quò meliores cives
utilioresq; sint in suis Rebus publicis. Ut
enim soli illi sapienti Deo, qui omnem hunc mundum re-
git, nihil est quod quidem in terris fiat, acceptius, quām
concilia coetusq; hominum pietate & jure sociati, quæ ci-
vitates appellantur: sic divinitus omnia optata conti-
nere constat ei Reipubl. ubi in augendis ejus commodis,
non solum eorum, quorum intereat, quosq; id facere vel
maximè oportet, sed etiam docentium discentiumq; ope-
ræ allaborant. Ut mihi perperam agere videantur, tum hi,
qui utilitatibus ejus civitatis, in qua vivunt, scientes vo-
lentesq; obsunt: tum qui studiosam juventutem ibi eru-
diunt, unde pejores cives deterioresq; futuri sint: tum qui
discunt, si in vanis malisq; aut etiam his occupentur arti-
bus, quæ magno cum hiatu, avidaq; hominum *ἀνέρων*,
φιλοκαίων καὶ φιλοεύων exspectatione de se promittunt,
se scire profiteriq; ea, quæ nec oculus vidit, nec auris au-
dit, nec in cor hominis descenderunt. Pertinet autem
ad rectam veramq; institutionem ea quoq; ratio, quā do-
ctrinæ studijs & sapientiæ dedita juventus, ad ea, quæ
præclarè didicit, prudenter eloquendum informatur &
exercetur. Hujus doctæ Eloquentiæ præstantia accensi,
Nobilitate generis antiqua, eruditioñis item doctrina &
virtute excellentes, juvenes,

WINANDUS à PETERSDORF, eques Marchicus,

A 2

NICO-

NICOLAUS WASMUND. Neobrandenbur:
FRIDERICUS MUNDERICH. L genses Megapol.
In trita illa & multis disputationum fluctibus agitata.
Quæstione: AN LICEAT FILIO, PAREN-
TEM, QUI IN PATRIAM NEFARIA MO-
LITUR, INTERFICERE: suum studium suamq;
operam hoc tempore posuerunt, & tribus Orationibus,
quid de illa fortè dici queat, comprehendenterunt: ita, ut
ILLE, non licere; ISTE, licere; HIC media qua-
dam incedendum via, quisq; pro se argumētis verisimili-
bus probare conati sint, judicio relicto ijs, qui recte judi-
care & possunt, & debent. Has ORATIONES no-
bis publicè daturi sunt, die quarto, qui in fastis SOPHIAE
sacer est. Ad eas per benignè cognoscendas, ut Ma-
gnificus Dn. RECTOR, Reverendi, Clarissimi, con-
sultissimi, humanissimi amplissimiq; omnium inclutæ hu-
jus Universitatis ordinum Professores, Doctores & Magi-
stri, nobilissima & literis exulta juventus, cæteriq;, qui
civilem societatem amant, die Mercurij futura, horam cir-
citer medianam nonam matutinam, in Archeo majori, &
corpore & animo adesse, quæ est ipsorum testata huma-
nitas, non graventur: est quod illos officiosè & amanter
orem & rogem. P. P. in illustri ad Varnum Balthicum
Academia, Rostochij ad 12. Maij, Anno 1616.

JOANNES SIMONIVS.
P. P.

Oratio



Oratio Prima.

*Ngens sanè & immensum
vasli Oceani opus Auditores struere
& adificare, verborumq; structurā
absolvere nitimur, dum de amore &
pietate tum in Parentes tum in Pa-
triam debitā, in publico confessu verba
facere, questionemq; gravis & ardui
casus, An filio Patrē in patriam ne-
faria suscipientē impunē interfici-
cere liceat, proponere & tantum non decidere nobis propositum
est. Nam cum amor patris in hanc, patriæ amor in illam nos
trahant rapiantq; partem: dubij certè anticipesq; sumus, totiq;
inter sacrum & saxum, quod dicitur, constituti: nec scimus, quo-
modo per ignes cineri, ut Poeta verbis utar, doleso suppositos sal-
vi incedamus. Patriam enim contra patrem si descendimus:
pietatem ledimus, reverentiam genitori debitam denegamus, hu-
manitatem exuimus, ortum paternum adversante & repugnan-
te naturā destruimus, & nos ipsos sceleris & parricidij tandem
convincimus. Contra si patrem contra patriam tueamur; a-
què peccamus, patriæ damnum inferimus, bellum movemus, pa-
triam pluribus calamitatibus obnoxiam reddimus, varijs sedi-
tionum periculis subiçimus, inḡ omnis generis perniciem preci-
pitē damus, & quod maximum est, gravissimè peccamus in
patriæ numen, quod quām sacrosanctū sit, neminem vestrum
ignorare posse haud dubito. Quamvis autem tanta bujus*

A 3.

qua-

questionis magnitudo, tanta gravitas, tanta denig^z majestas ab
incepto nos facilimè abducere atq^z averttere potuisset: tamen,
cum hac exercitia & licita & per se honesta, juvenutiq^z utilia
sint; hac verò à nobis non aliter fieri institutq^z certum sit & con-
stet, quām ut ingenium excolatur, dicendi peritia acquiratur,
sermonis & lingue elegantia comparetur: vestrā, Auditores,
humanitate freti planè confidimus, nos veniam apud omnes im-
petratiros, vosq^z vacivas vestrarum aurium edes nobis aliquan-
tisper præbituros: id quod vos obnixe rogamus.

Me enim quod attinet, neganti suffragari sententie illamq^z
certis & invictis argumentis stabilitam hanc oratiunculā mēa ob-
oculos ponere & evincere; nullo modo licere filio patrem forsitan
degenerem interficere, mecum constitui.

Relictum nobis lumen quoddam à DEo ter opt. max. natu-
ra humana insitum ac termino honestatis circumscriptum habe-
mus, qui quidem terminus sine magnâ rerum confusione, sine
magno scelere violari aut moueri nequit. Hec nobis insita vis
doceat, nosq^z ad monet, neminem, nisi is extremè impudens sit,
aut inverecundus ac perficie frontis, hoc sibi sumere, ut paren-
tibus meritum detrabat honorem; Vinculum & nexus pater-
num dissolvat, naturaq^z lumen subvertat: Sed esse nominis hu-
mani, eò potius omni animi impetu contendere, ne dicto aut fa-
cto, nutu aut gestu parentes, cum illi nobis loco DEi sint, offendam-
us aut ledamus.

Hac inquam, lex ita altè in pectus unicuiq^z nostrum est de-
fixa, ut altius non possit. Sed fortè est, qui neget, parentes
esse nobis DEi loco? O os impurum! ô virtutis odium! ô auda-
cie columen! Tibine ego ut istib[us]c contra natura dictamen ne-
ganti, contra omnium hominum recte sentientium consensu
nuganti credam? An non enim, Auditores, is qui nobis o-
mnia pietatis officia exhibet, est quasi quidam DEus? A quo ve-
re ho-

rò homine liberi quām à parentibus majora expectent pietatis officia? à nemine, ut ego quidem opinor. Quare & parentes liberis esse DEI loco, certum est, Testis nobis locuplesissimus Ari-stoteles, qui DEOS & parentes ubiqꝫ conjunxit: testis Proculus, qui parentes, DEI, qui omnium pater est, imagines vocat: testis Valerius Maximus, affirmans pari vindicta expiari DEorum & parentum injurias. Quis igitur hic non videt, qui parentes violat, hunc in DEUM gravissime peccare? Et DEUM sibi offensum reddere quanta impietas? DEUM de industria violare velle, quanta beluina audacia quamqꝫ ferina immanitas? Gigantes feruntur aliquando voluisse Düs bellum inferre, sed fulmine Jovis protinus eos percussos, notum est. Significarunt homines profani, quām irriti ac nefarij sint horum conatus & quām illi rem leberide, quod dicitur, nudiorē aggrediantur, suoqꝫ sibi jumento malum accersant, tandemqꝫ justam mercedis pñnam luant, qui talia exp̄sè probita tentent. Quod si tamen quis sit, qui contrarium statuere ausit, neqꝫ suum hic animum convinci patiatur, sed eousqꝫ procedat, ut piè saltem filium facere, qui parentem nefaria molientem interficeret, oppidò afferat: Ubinam quoqꝫ bujus erit pietas? ubi hujus acumen? ubi bujus cum parente sanguinis communio? naturalis hujus in parentes affectio ubinam? naturā enim ipsā, Auditores, sci-mus nos obligatos esse parentibus ad ea, quæ grācē avlidae dicuntur. Habemus hoc omnes, ita facti, ita instituti omnes sumus, ut ijs, qui nos genuerunt, grati animi nostri memoriam, quantum in nobis est omnem, ipsa re, ipsoqꝫ ope-re testatam facere cupiamus. Neqꝫ id immerito. Ingenuitia etenim à parentibus bona liberi accipiunt; à parentibus educantur, ab his instituuntur, imò quod maximum est, originem, vitam, ortum ab his trabunt. Que itaqꝫ habent, non perse acquisiſſe autument, sed genitori, quisqꝫ suo omnia

mnia accepta ferant, quod post Aristoxenum Hierocles eleganter testatur: Actiones, inquiens, nostræ, parentum nostrorum opera, esse dicuntur, per quos & nati sumus. O sanctissimam D E I providentiam! ô divinam à D E O constitutam ordinationem! quæ filios ad obedientiam præstandam devicit, filios ad debitam patri benè merenti observantiam munerandam obstrictos reddit, ad similia & paria paribus referenda obsequia liberos obligat! Sed quid dico referre? imò duplice & majorem gratiam his pro vita, educatione, institutione liberi debent. Nunc pluribus refundendis gratijs haud pares, cum vix uni respondere valeant, attamen pròdolor sunt, sunt inquam pròdolor, qui impium & execrabile facinus in patres committant, qui vitium ingratitudinis turpissimum in eos exerceant, qui eum vita privari posse à se confirmant, pro cuius salute tuendâ vita ipsis vel millies profundenda esset. O portentum! ô ostentum! ô te quisquis ita sentis, hominem non hominem? At inquis, in patriam, nefaria cum moliretur pater, patriam occiso parente ab exitio, à pernicie, ab interitu eripui, patria salutem hoc meo egregio facto attuli, incolamitatem peperi. At ego inquam etiam injustissimo pessimoq; genitori deberi pietatem, reverentiam, obsequium. Cum enim lex naturæ non distinguit, nec nostrum distinguere erit; ubi lex generaliter loquitur, eam accipiamus generaliter, neq; aliquid addamus, neq; adimus, simplicissimè autem lex naturæ sine ulla distinctione & plenè parentibus liberos ad dona pro donis acceptis reddenda obligat, sive virtute polleant, sive criminum labe infecti prorsus sint atq; inquinati, non autem illos plusquam hostili odio habere & tandem quasi internecione tollere permittit. Quamvis legum contemtor, quamvis impius sit, tamen pater est, inquit gloriissimus noster Imperator Justinianus. Et Simplicius Epicteti interpres, etsi, inquit,

quit, malus fuerit pater: tamen officia, qua patri debentur, ei prestanta sunt. Auditio, Auditores quam perspicue vire illustres Omnipotens laude & veneratione maiores meam Confirmant Orationem, quam dextrè questionem explicent, enodentq; Contra naturam esse etiam injusto patri manus inferre ad oculum quasi demonstrant? Astipulatur bis antiquissimus & Sapientissimus Legislator Solon: qui aliquando questus, cur in parricidas nullam dedisset legem? lege nature ductus respondit: nunquam enim parricidam futurum censi. Quid? quod & scriptam expressamque DEI legem habemus, quam jubemur honorare parentes? banc autem ipsam legem divinitus sanctam inter tot horrendas tonitrua promulgatam ecquas admittere putas limitationes, ut ille parens intra huius precepti quasi praesidium receptus, alias verò sit inde exclusus? non opinor Auditores. Sed & Vocula honorandi amplissimam vim complexus est sanctus ille legislator; nec enim verbo vult Saltem liberos suam erga parentes reverentiam declarare. Sed requirit & res & facta, ut parentum iussa efficiamus, negotia exequamur, ut eos juvemus in fame & paupertate: Contra vim & injuriam tueamur, deniq; mori pro illis non dubitemus. In quam quidem rem pulchra tam ex sacris quam profanis citari possent exempla, si modo tempus id ferret; brevitatis tamen studio unum saltem circa pietatis exemplum adducam: Prator aliquando sanguinis ingenui mulierem apud tribunal suum capitali criminis damnatam Triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is qui custodia praeerat, misericordia motus, non protinus strangulavit. Aditum quoque ad eam filia, sed diligenter excusse, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum, ut inedia consumeretur. Cum autem dies plures intercederent, secum ipse quarens, quidnam esset,

quod tamdiu sustentaretur; curiosius observata filia animadverit, illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem, que tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad Triumviro, à Triumviro ad Praetorem, à Praetore ad concilium judicium perlata, remissionem pæne mulieri impetravit. Stupendum planè & admirandum factum! Videte enim Auditores, quò non penetrarit, aut quid non excogitarit pietas? Quid enim tam inusitatum, quam matrem nata uberibus alitam? Quid tam inauditum, quam filiam matris sue matrem, & matrem filia sue filiam factam? quis non putaret hoc contra rerum naturam factum; nisi diligere parentes prima natura lex esset. O ergo stupendum factum! ô laudabile pietatis exemplum! & est tamen, qui existimat, parentem etiam malum interfici à filio posse? Adeste animo, quotquot corpore adestis Auditores, & qualis her ipsorum censura sit, mecum recognoscite. Addidit DEUS huic suo de honorandis parentibus mandato. talēm clausulam qualem nulli alijs additam in isto ordine legimus: Ut benè tibi sit, & sis longævus super terram. O cælum! ô terra? Vos enim adhuc testes estis ejus diei, quo hac lex rogata est non ab homine, aut ulla humanâ potentia, sed ab ipso Domino Dominantium, à Rege illo Regum, à JEHOVA. Quid verò vult illâ lege hic JEHOVA? Honori parentes. Ecquod verò ipsis pro hoc honore beneficium se retributurum promittit? Ut benè ipsis sit, & sint longævi super terram. Benè quidem nobis esse arbitramur, si abundemus hic operibus, divitijs & omnibus rebus alijs, pro quibus digladiari inter se homines solent. Nec nego hæc bona esse. Nec ea promissa esse liberis morigeris, ullus dubito. Sed tamen longè majora bona & verè bona ipsam promissa statuo: gratiam DEI, fructum bone conscientie,

scientia, ceteraq; id genus omnia, qua nec naufragio perdi-
nec rebus adversis eripi, nec ullo tempore à nobis aufferrè
queant, sed qua cum ipsa perpetuitate durent. Ex quo
profectò efficitur, cum in honorandis parentibus tanta insit
bonorum vis, quām horrendum sit crimen, quām grave pia-
culum, si patri filius honorem debitum deneget: quantumq;
facinus sit, si ei quoq; manus inferat. Evidem in uno
illo scelere omnia inesse scelera arbitror. Itaque & hic
ipse parricida inter homines omnes erit maledictum, execra-
tio, prebrum, contumelia: nunquam is DEUM propitium
habebit, infensum habebit cælum, aduersa sydera, aërem
inimicum; hostes lucem, tenebras, frigus, estatem, aves, be-
stias, serpentes, pisces & ut compendio dicam, totum mun-
dum. Ipsa etiam magnitudo & atrocitas parricidij
tanta est, ut qui filio potestatem faciat occidendi patrem,
eum ego liquidò pronunciarim esse Aceronte satum ipso.
Quisnam enim quaso posset parricidium perpetrare? quis
auderet tale abominandum facinus approbare? nemo, nisi
instinctu diaboli: & si quis ausus fuerit tantum scelus pa-
trare, annon dicemus eum odio in patrem cruento concita-
tum id facere, cui postmodum sublevando publicam præten-
dere causam studeret? Nihil enim, Auditores, frequen-
tius, nihil usitatius, quām ut homines causam facinoribus
prætexant honestam, à quibus quasi ventis sapè etiam in
Rebus publicis maximi excitantur fluctus. Pompejum nostis &
Cesarem & bellum bivile ab his constatum. Quām autem honesta
prætexebatur utrinque causa? Salus nempè Reipublica. Sed si nos
altius in rei veritatem inquisierimus, altam inveniemus.
Vera enim causa que hoc bellum inflammabat, fuit stulta
utriusq; superbia, multorum omnibus seculis malorum fons &
scaturigo, quam eleganter Lucanus complexus est his verbis:

B 2

Nec

Nec quenquam jam ferre potest Casarve
priorem.

— Pompejus ve parem.

Et Bellum illud nostis funestissimum & diuturnum inter Lacedemonios & Athenienses annos 27. toto gestum, quod Peloponnesiacum vocatur, & unde id sit exortum noslus. Hoc enim nihil aliud quam privati & stulti gubernatorum affectus inscenderunt. Sed quam bellam bis motibus prætexuerunt utringꝫ causam? Controvertebant Corinti & Corcyri de dominio Epidamni: eam controversiam cum negoꝫ judicio negoꝫ oratione sed armis dijudicare vellent: Corcyri ad populum Athenensem se converterunt atque ab eo in societatem recepti sunt: vicissim Corinti Lacedemoniorum copijs auxiliantibus se muniverunt. Agnoscitis, Auditores, que vera qua falsa bujus belli fuerit causa? Vera in Atheniensibus nimis potentia cupiditas: In Lacedemonijs metus crescentis dominationis Atheniensem: quibus affectibus uirinꝫ prætexuerunt fædus cum socijs initum, quos defendere jus naturale & scriptum jubet. Quare quin & filius parricidium odio crudeli perpetratum simili ratione palliare, astutegꝫ celare & insidiosè dissimulare, factamqꝫ immensi facinoris causam afferre studeat, nullum apud nos dubium est. Romani quidem & Perse & Graci vix credere voluerunt, posse tantum scelus in filium cadere, ut interficiat Patrem: Perse quoqꝫ si quid tale perpetratum fuisset, perpetrantem sanguinem judicarunt: Sed tamen sapientes filios in necem parentum Diabolo aspirante crudelissime armari, res ipsa eten loquitur.

Cum

Cum enim magnus sit furor Satana homines ad quae-
vis scelera impellentis: tum hoc quoquè constat, verius
esse quod dicitur, amorem non ascendere sed descendere, hoc
est, à parentibus impensè amari liberos, ab his illos non
item. Ejus rei unum saltem exemplum afferam: Patrem & fi-
lium in pari vita discrimine fuisse consilios legimus. Cum
autem uerique ad mortem jam essent condemnati, proposita
fuit ipsis conditio, ut uter alterius carnifex futurus esset, is
vita frueretur. Res miris controversijs apud utrumquè
tacitè fuit agitata. Tandem pater cum filij sectorem esse
posse negaret: inventus est filius, qui patrī caput gladio
amputaret. Ab nefandum filij scelus! ab lamentabilis pa-
tris exitus! ab flebilis discessus? Quis verò hac vel legens
vel audiens adhuc dubitet, parricidium non esse pessimum,
cum in illo omnia scelera & flagitia contineri ex hoc uno
exemplo condiscat, impietatem in D E U M, abnegationem
nominis Christiani, ingratitudinem in parentes, injustitiam,
inhumanitatem, sevitiam funestam, crudelitatem inauditam,
feritatem plusquam ferinam. Itaq; & Justinianus Impe-
rator parricidium scelus vocavit aspernum. Et Ulpianus
Jureconsultus, manus que parentibus intentarentur, dixit
imprias, & Seneca Philosophus inter omnes omnium haud
postremus, facinus ignotum, efferum, inusitatum, quod populi
borreant. Quin & Horatius Poeta insignis hominem Sa-
cilegum, improbisimum nequissimumq; descripturus, illum-
ait, parentis crediderim sui fregisse cervicem. Sed & se-
verissima animadversio in hujusmodi delinquentes constituta
atrocitatem delicti satis ostendit. Ea Modestino Jurecon-
sulto auctore talis est: ut parricida virgis sanguineis ver-
beratus culco insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera
& simia, deinde in profundum maris culcus jactetur. O
legem

legem justissimam! quā atrocium atrocissimā pēna
puniri jubet. O autem & legem tristissimam, que primum
vult parricidam verberari & quidem, ad sanguinem usq;
deinde eundem contubernijs canis, galli, serpentis, Vipere
& Simiae misceri: quod ideo fecisse legem vero consentaneum
est, quod enumerata animalia quedam sint mordacissima, ut
canis, reliqua intestino odio se prosequantur, gallus Serpen-
tem, serpens & viperam simiam, simia hominem: ut his in-
rabiem & mordacitatem inter se conversis, ipse parricida eō
gravius torqueretur: quem & à tam diverse natura anima-
libus, in furorem ex ista in ergastulum conclusione actus, per-
quām horrendis lanienis peti & invadi certum est. De-
nig^r culco insultos vult Lex parricidas in mare projici, ut &
ita vivant dum possunt, ut animam de cælo ducere nequeant;
& ita moriantur, ut eorum ossa terra non tangat, & ita
jactentur fluctibus, ut nunquam abluantur, & ita postre-
mō ejciantur, ut ne ad saxa quidem mortui conquestant.
Crudele igitur & horrendum minimèq; committendum scelus
esse, si filius etiam injustum occidat patrem, abunde hinc li-
quet. Licet enim pēna scelus sequatur; minimèq; flagitia
impunē ferenda, sed ratione delicti in ea sit animadverten-
dum; tamen filium patri nefario etiam pēnam irrogare &
statuere nefas esse ducimus.

Dixi Auditores qua mea de hâc quastione,
**NVM FILIO PATREM SCE-
LERA PERPETRANTEM IN-
TERFICERE LICEAT**, sit mens qua
sententia quod animi judicium. Dete-
stabi.

stabilem namque, ipsorum immanitatem, qui
tantam violare pietatem, scelus tanm flagi-
tiosum dissoluta patris potestate committe-
re ausint, illosque execrables judico. Vos
qui filij estis, appello, num vestrum sit ali-
quis, cui pessimus etiam pater, si tamen is
pater sit; Et si ab eo ortum verè habeat,
qui tantum impieatis, tantum inhumaniti-
tatis apud se reperiat, ut sibi licere putet,
eum, à quo vitam dicit, indignissimè vi-
ta privare? Neminem, qui id sta-
tuat, tanm immanem, tanm impium,
tanm crudelem fore arbitror Et ego jure
id fieri honesteque licere affirmantem,
immanissimum crudelissimum-
que statuo.

D I X I.

Ad

**Ad Nobiliſimum ac eruditissimum Virum,
Dn. WINANDUM à PETERSDORE.**

Nativo vigeat tellus licet alma calore,
Triticæ facilis det gremiumq; Dæx;
Ut tamen assiduis nisi subvertatur aratis,
Et glebæ raftri perfodiantur acu,
Non pigues gignit fructus, non vina, colonus
Nil quoq; ni steriles deses habebit agros.
Vix secus ingenium est, illustri quamvis obortum.
Stirpe, atq; è cerebro vena paterna fluat:
Sedula ni accedat culturæ industria, id omne
In pejus præceps, in vitiumq; ruit.
Ergò ut patricio tam fructus stemmate dignos
Indole quam innatà, culte Vinande, feras.
Ingenium multo premis usu, ampioq; labore
Linguam Romano perpolis usq; sono:
Historicos audis, legumq; oracula professos,
Doctrinæ varium edis specimenq; gravis.
Currere si pergas, majores numine vinces,
Suspicient Reges, Cœsar & iplé coleū.

Cur col. PETRUS ENGVER.





Oratio Secunda.

Vod Pictor ille fecit, picturus luctuosam ac acerbam Iphigenia immolationem, Auditores, ut tristem Calchancem, tristorem Menelaum ostenderet, Patri verò Agamemnonē tristitie nebulis obsitum caput lugubri pallio involveret, ad ipsius maximum luctum obvelandū potius & occultandum, quam exprimendū & illustrandū: idem nobis hic fortè esset faciundū, ut potius silentiū pallio hāc, quam suscepimus quastionem, involveremus, quam ut eam penicillo orationis cū vivis coloribus depictam, in amplissimo hoc theatro, conspiciendam proponeremus. Sed tamen & ipsa hac materia per se est celebris: & nemini vel mediocriter saltem literis tincto hujus exercitationis suavissimus ac uberrimus fructus non constat. Quid enim bac. magis ingenia discentium limat? quid magis exacuit? quid judicia de rebus gravissimis politiū informat, effingit? quid memoriam nostram rerum barum utilissimarum impressione fertilius colit & excusat? ecquid denig veritatem, unam quidem & simplicem, hominum tamen culpa ambiguitatum nubibus septam, momentis rationum equissimo veritatis examine ponderatis, ē tenebris quasi erutam rectius faciliusq; in apricum producit, confirmat, illustrat? Itaq; judicatum est, ut quemadmodum in consesso Senatorum omnino necessarium, sic quoq; in augustissima doctorum hominum corona expedire, contrarias tractari à discentibus opinianes, ut ex eorum collisione, sive attritu instar aromatum, que quo ministris

C

incisa

incisa atteruntur, eò magis sensus nostros virtute sua edovi-
fers efficiant, vera tandem, eaq; equitatem & justitiam, non
iniquitatem & astutiam redolens, exiliat sententia.

Que cum ita sint, non dubitabamus, gratissimum
fore illustri auditorio, si hanc materiam cum dignitate, tum
utilitate amplissimam, pro ingenij modulo pertractaremus,
illiusq; praesentia deliniti tandem superari nos pateremur. Cum
autem questio à nobis ventiletur, auditores, AN FILIUS
PATREM, QUI IN PATRIAM NEFA-
RIA MOLITUR, TOLLERE QUEAT:
de ea, quid ego sentiam, quidve Reipub. utilius ac salubrius pu-
tem, est mihi nunc dicendum. Ego verò longè aliam, &
toto, quod dicitur, cælo ab illa distantem, quam modò defen-
dit commilito, amplector sententiam. Dabo enim operam,
totusq; enītar viribus, ut certis & firmis rationibus demon-
strēm, filio maximè licere vim inferre parenti, si us in patriam
fussiciat ea, qua civitati pernicioſa sint, queq; damnum ac in-
teritum Reipub. afferant. Quod ego dum facio, & ab ipse
pietate parentibus debita, veniam peto supplex; & vos omnes
summa, qua possum, animi obſervantia, rogatos volo, ut me
non minus, atq; commilitonem, gravissima de re verba facien-
tem, pro ſolita uerba equanimitate, humanitate & benevo-
lentia audiatis, nec antè quid de me, quam perorantem audire-
tis, flatuere velitis.

Maxima vis, efficacis & sanctimonia inest honestis le-
gibus: quam nemo, niſi cyclopis & belluiniſ hominum moribus
imbatus, negabit. Lex enim suam exerens virtutem, quid
aliud eſt, quam vitiorum emendatrix, commendatrixq; virtutum?
cujus autoritate nutuq; docemur, domitas habere libi-
dines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis men-
tes, oculos, manusve abſtinere? Quid ſit ac ſpirat lex
aliquid.

aliud, quam omnium civium salutem, civitatumq; incolumitatem, vitamq; hominum & quietam & beatam? Major certe hereditas venit unicuiq; nostrum à jure & legibus, quam ab ijs, à quibus illa bona relicta sunt. Nam ut perveniat ad nos fundus, testamento alicujus fieri potest; ut retineamus, quod nostrum est, sine jure civili non potest. Ecquid deniq; aptius ad jus conditionemq; naturæ, quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. O admiranda & divina lex! ô anima & spiritus civitatum, imò totius orbis terrorum! Spiritum si tollas ex homine, quid supererit? non ne cadaver, vermium & serpentum seminarium? sic bonefis è mundo sublatis legibus, quid invenies & cadaver, omni genere terrenorum & maximè abominandorum scelerum pullulans & scatens. O aurea norma civilium controversiarum lex! ô regina omnium divinarum & humanarum rerum! Tu judicis cobibes afficuis, ut non ex arbitrio sibi singat aquitatem, sed omnem controversiarum nodum, te, velut enje quodam, recidas. Tu, tu lampade justitiae Veterorum cobortem ab Orco quasi, inviam reducis, que diu multumq; in foro versata, omnes litium retrahendarum anfractus, omnes ambagiosas fugitandi ludifications, omnis reprehensiones, nexusq; lubrici litium certaminis optimè tenet; que aincipiti forenium salebrarum Marte, bellissimè insidias d'spunere, atq; etiam providere novit; qua causa inferior, superior tamen evadere, vel reclamente equo condidit.

Quanta enim, Audite res, barbaries fuerit, quanta immanitas populorum, non secundum legis, sed vitiis & rationis normam viventium, testes nobis sunt locupletissimi. Aborigines, agrestes, sane hominum genus, sine legibus, sine imperio liberum atq; solutum. Similes his, ne dicam, horridiores fuerunt in Africa, Ca-

seres. Mauri & Abyssini. Sed multis parasangis hos antecellunt omnes novi orbis Incole, quorum tantam esse morum crassitudinem, perhibent historie, ut eam vel hic exponere, nec bona, nec integer dies nec vox sufficeret. Ut igitur nostrum corpus sine mente: sic Respub. sine lege non potest esse vitalis, suis partibus, ut nervis, sanguine & membris, uti non potest. Et ut architecti sine libella & linea nil perficiunt: aut nautae cursum navis tenere non possunt sine ferro, quod affricuit Siderites: ita nec imperantes sine hac norma. Actum ergo cum illa civitate, in qua mores perduxerat leges in potestatem suam, ac ea misere ad partem fixe & clavis ferreis. Jam vero, quis nostrum ignarus est, tantam esse legum in Repub. autoritatem, ut, quod illa permittunt, id si quis faciat, id impunè cum facere, idque honestum esse necesse sit. Ut enim natura, ita & à pio Magistratu lata nil frustra lex facit: obligat ad paenam & obedientiam, ut boni ab injuria defendantur, mali vero secundum debiti proportionem dignè castigantur plectanturq;. Quare cum tanta nostrarum legum sit in honestos benevolentia, tanta in transgressores & sceleratos animadversio, omne, quodcunq; praciipiunt, permittunt & approbat, & honestum, & licuum esse oportet. Itaq; ut vis vel legitimis moderamine exhibito, repellatur, equam dicit lex, & natura conveniens: ut mas cum famina legitimam, eamq; individuam vita consuetudinem colat & adamet, tanquam maximè honestum, lex serio precipit: ut fraudulentio homicidio quis abstineat, non secus lex, ac ipsa natura abhorret: promiscuum autem connubiorum morem, quam renuunt, quam refugiunt & detestantur leges! Massagetas parentes suos, cognatos & propinquos senio jam confectos mactare solitos, mactatos devorare, quam aversantur, quam ut natura monstrum execrantur leges? imò diram hanc impietatem paenit ulciscuntur meritissimis. Ut vero filius patrem ad delendam patriam qui venerit, impunè occidas, lex permittit. Ita enim Ictus Marcellus inquit:

Min-

Minimè majores lugendum putaverunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit: quem si filius patrem, aut pater filium occidisset; sine scelere, etiam præmio adficiendum omnes constituerunt. Agnoscitus, Auditores, in hac lege, quomodo, qui ad patriam delendam venerit, sit à medio tollendus, clarè ac luculentè decidi? Primo enim hunc ipsum, qui patriæ manus inferat, omni luctu, omni commiseratione indignum censuisse majores affirmat; deinde majores; at qui majores? qui justitiam, ut Deam iustissimam, sacerrimamq; coluerunt & venerati sunt, hos majores, ait, tantam hujus delicti atrocitatem statuisse, ut, tam patrem à filio, quam filium à patre, si alter patriæ interitum molatur, impunè non saltem posse interfici, sed etiam fructu rectè factorum boni viri uberrimo & præstantissimo cumulandum censuerint. Ne verò quispiam hic nobis obganniat, contextum expresse non loqui de filio: attendamus & albo lapillo annotemus hac verba legis: si filius patrem occidisset: quæ verba, censete ipsi, an sint obscura, dubia flexiloqua? nec enim talia sunt, sed sunt clara, perspicua, indubitate; loquuntur enim de filio, qui patrem interemit. At, quem Patrem occidere posse filium lex approbat? eum, qui ad patriam delendam venerit. Magnum profecto opus, occidi à filio parentem? Sed ejus gravem causam lex facit, si nempe ad patriam delendam venerit. Estne verò, inquires, tantum momenti in patria vel conservanda vel delenda? Est verò vel maximum. Etenim Patriam delere, quid aliud est? quam bellum, seminarium quod est omnis flagitiū, turpitudinis, calamitatis, injuria, exitiū, suavissima patria inferre: bellum, inquam, inferre patriæ, in quo religiones, honesta artes, ac discipline pessundantur, viri fortes, & præclari patria anti-stetes miserè jugulantur, matres ingenua adulterijs, virgines stupris contaminantur; liberi ex libertate in servitutem rediguntur, omnia mercimonia ut adminicula vita necessaria, proscri-

C 33

bun-

Buntur, vicius & amictus subtrahitur, divitias summa succedit
inopia, quid dicam? pulcherrima urbs incendio, excidio & ruinis
catur, diruta ac prostrata jacent omnia, mors fit civili solatiu, vita
supplicium: bellum deniq; inferre patria, quo omnia, que patria
suppedicat, quibus beateq; vivendi ratio continetur, uno velut iectu
solletur. O deploräde pater, te alloquor, qui eò pervenisti, ut ad ea
perdida animu apelleres! ut tata iaq; eximia bona cuperes eversa
atq; perdita! Te ergo, ad patria delenda qui veneris, patrem impunem
nè à filio interfici posse, lex affimat: neq; tantum affimat, sed &
bunc mereor aro filium tuum pramio affici jubet. O legem admirandam! ô patrie stupendum amorem! ô auream justitiam!

Premiorum & paenarum jure universam contineri Reipub.
Solonis erat assertio, quibus ceu alimentis quibusdam virtus
omnis provehatur: itaq; nec illa, nisi bene merentibus dari, nec
has, nisi malis ac facinorosis infligit constat. Neg, enim domus,
neg, Respub. ulla, ratione quadam & disciplina designata videtur,
si in ea nec recte factis premia existent ulla, nec supplicia peccatis.
Verus, iustus atq; honestus labor, honoribus, premiis ac splendo-
re decoratur: virtus autem hominum atq; fraudes damnis, igno-
minis, vinculis, verberibus, exiliis, morte deniq; multantur. Nec
enim adulteros, homicidas, raptores lex premiis, sed gladij pena
persequitur: veneficos, necromantas non premiis sed igni lex
mancipat: parricidas, id quod & commilito affirmabat, non pre-
miis affici, sed virgis sanguineis verberari, cum cane, gallo gallina-
ceo, viperâ & simia culco insui, ing. mare vel omnem proximum
projici jubet. Bonos contra Reipub. salutem labante erigentes,
erectam conservantes, gladij pena, aut ullo mortis infligenda, in-
famiae irroganda genere afficiendos minimè lex judicat; sed
illos in tot vigiliarum, in tot pro patria salute conservanda ex-
cubiarum compensationem, amplissimo virtutis pramio, honoris
& splendore decorandos, immortalitate nominis dotandos dignis-
simè censet. Sed agite! perlustramus nostram legem, anne idem
hic

hic aequitatis tener? omnino: premio equidem affici jubet filium,
qui patrem occiderit inferentem vim patrie, & qui ad eam de-
lendam venerit. Proh quanta talionis pena in hoc patre statui-
tur! Sed nunquam lex justior ullus est, Quam necis artifices arte
perire sua; Poeta Sulmonensis inquit. Quis ergo in nos erit adeo
immunis & inhumanus, ut, hunc filium de patria optimè meruisse
non afferat? neminem adeo rigidum & iniquum fore arbitror.
At dices fortè: inventum id est hominum, & simulatio ex fonte
similans iustitie rivulus, ad nebulas rectè flatuentibus offun-
dendas, concedere istam filio potestatem? At judicete ipsi, Auditio-
res, quale illud sit, quod dico, si enim opinionem hanc nostram
ad infallibilem negare & lapidem lydium, ipsam naturam, ex-
amineverimus, deprehendemus ab illa hoc factum filij in patrem,
ut pium & equum, defendi ac approbari. Natura enim nos
jubet in patriam, in superiores & nostros pie facere, eosq; quovis
benevolentia genere prosequi. Cum enim ita comparatum sit,
ut patris omnia debeamus, ei quoq; ut pie faciamus necesse est.
Ordinem autem superiorum sanxit ipse D E U S, cui, ut legi-
timo modo pareamus, omnia humanitatis & pietatis officia
præstens, sacra nos docent libera. Hic enim ordo
Rempubl. tuetur, in primis dans operam, ut juris & judi-
ciorum adminiculo suum quisq; teneat, ut nego, tenuiores
propter imbecillitatem circumveniantur, neq; locupletibus ad sua
vel tuenda, vel recuperanda ob sit invidia. Quis ergo hunc ordi-
nem obstante & tam præclarata in Rempubl. merita nullo non hono-
re & beneficio dignum non prædicat? omnis cum à Deo promanat
sapientia, qua leges stabiliantur, improbi castigentur. Suos de-
nique qui negligit, us extremè est sceleratus, sceleratoq; impius. Be-
stia enim si pro suis ita propugnant, ut vulnera excipient, nullus
impetus, nullus casus reformident, ipsi sicut hoc à natura tributum,
ut se vitam corpusq; tueantur, declinentq; que nocitura viden-
tur; quantò magis hominem ratione præditum decebit, naturalē
buie.

hunc legi se subdere, communem suorum salutem defendere, ignites
in patriam directa tela, summa cum vigilia avertere, aut etiam
accensa restinguere. Et hanc quidem colenda patria, honoris in
superiores, cura erga suos, legem non didicimus, accepimus, legi-
mus, verum ex natura ipsa arripimus, hancimus, expressimus,
ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus. Jam
pietatis in patriam in superiores & suos, annon signum eviden-
tissimum, omniq; exceptione majus est, atrocem ab ijs injuriarum
vi licita propulsare, contumelia scim in hoste restinguere, exitu
famem sedare, internacionem truculentam prohibere. At pa-
ter ad delendam patriam animum adiiciens, quid aliud agit, quid
aliud spirat, quid cogitat aliud, quam ut teclis omnium civium
templis urbis ignes subiiciat, gladios in Rempub. disstringat, mu-
crones in omnium civium jugulos adigat? Hos ignes in ipso au-
toore restinguere, hos gladios retundere, hos mucrones à patria
reducere, si non sit pius, nescio quid pium dici debeat aut possit?
Clarius dico, quod dicendum est, si quis tam ingratus, tam im-
pius existat, ut patrem suum patria perditionem magis, quam ip-
sam patriam diligit: bunc omnium impiorum maximè impium,
omnium ingratiorum ingratissimum in oī omni ex humana socie-
tate ejiciendum & extirpandum quis non videt. Quare & lege
nature justum est, si hoc medicamen patrie tam salutare filius
afferat, si improbum patris conatum infringat, servitiam exhau-
riat, tyrannidem propulset, vitam denig ipsam ei, si aliter non
velit, eripiat. Quod si furem nocturnum, vel hostiliter bona
nostra in vadentem, vel nobis invitis, lucri gratia, res nostras
fraudulenter contrectantem, si se telo defendat & vita periclitetur,
pro defensione rerum impunè licet occidere: quod si latrones
vi dolore in nos irruentes repellere & interficere nil vetat:
quanto magis licebit, eum è medio tollere, qui non unius sed o-
mnium in Repub. cervicibus acinacem intendit; qui non in unius
sed omnium totius urbis sumptuosissimas ades, ignitas faculas
conjicit,

conjicit, pyroboles mittit, tela ardentia jacit, conflagrandaq; patriæ sue spē maxima flagrat. Et si licebit eum interficere, qui turpitudinis astro percitus, cæno libidinis immersus, alterius thorum violare vel stuprum inferre attentat; quidni eum interire permitteatur, qui omnium vitiorum colluvie, libidinis, fornicationis, stupri, adulterij, cædis, patriam obruere & quasi suffocare satagit. At atrox quidem injuria hac est, inquis, summa in patriam impietas, qua, ut ultore ferro justè vindicetur & legi scriptæ & legi naturæ sat est conveniens: Verum non tanta, ut arctissimum & adamantine filialis reverentie vinculum possit dissolvere, filioq; permittere, ut patrem, quantumvis ad patriam delendam venientem, violet, vita & sanguinem tam impie spoliat. Portentum atq; monstrum certissimum est, dicas, esse aliquem humana specie & figura, qui tanta immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavissimam lucem aspicerit, eos indignissimè luce privarit; cum etiam feras inter se se partus atq; educatio & natura ipsa conciliat; & non tantum bonis sed malis etiam genitoribus pietas debeatur, amorq; filialis perpetuo præstetur. Est quidem hæc ratio tua satis spinosa, ponderis & momenti quoddam in se non leve videtur habere, sed non modo Gordio intricatior, non adeo firma est, ut meam turbet, vel infringat sententiam. Malis parentibus deberi pietatem, dicas: en largiter concedo: eos non temere hac lucis usura privandos existimas: en idem existimo, sed hac lege, si illi tantum sint mali, nec suam malitiam ad patria perniciem extendant. Tum enim pietatem patriæ debitam, arctiori vinculo ligantem preferri debere censeo huic pietati, qua patrē quisq; debet afficere. Quacunq; enim res non afficit duntaxat, sed cumulat, nec cumulat saltem sed penè obruit nos non vulgaribus sed immortalibus ac penè divinis beneficijs, beneficijs inquam, ejusmodi, que vel Romana facundia nobilissima, orationis & eloquij suavitate præcellentissimus,

D

vel

vel fulgurans tonans vè Pericles, qui verba hybernis densiora
nivibus potest profundere, vel alias, cuius in labris Pitho, Ve-
nusq; se fuisse meritò dicerentur, non fontes, non rivos, sed flu-
mina effundens, dignis satis posset extollere encomijs; que, in-
quam, res majora in nos confert beneficia; et rei plus profectò
debetur, eis major est gratia referenda. Sed tam ma-
gna beneficia, tam ampla merita, eas Parentum à beneficijs seu
meritis longe dissimilia, patriam in nos conferre, neminem no-
strum fugiet. Omnes enim fateri cogimur, nos à patre
quidem habere, ut simus, sed à patria, ut benè simus. Pa-
ter equidem confert, ut nudi in hanc lucem edamur, matris ab-
ubere pendentis, laetio cibo nutriamur, educemurq;. Sed
quid patria? hec sanè si memorata sit, hoc nobis impendit
beneficij, ut in eo enascamur loco, qui sit religione purus, le-
gibus probè munitus, disciplina, à bonis exemplis quām
optimè instructus. Quis patriam ergò ob tam gran-
dem beneficiorum ab ipsa præstitorum cumulum, magis quām
patrem pietate, & gratia cumulandam, ornandamque
non perspicit? quis amorem, favoremq; patriæ hic predomini-
nari, hic prævalere non videt! chari quidem sunt liberi, propin-
qui, familiares: sed omnes omnium charitates una patria comple-
xa est: commune patriæ solum & charum est & jucundum
& delectabile; & ipsa patria, dici vix potest, quid voluptatis
habeat, cuius rei tanta est vis ac tanta natura, ut Itbacam,
illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapien-
tissimus vir immortalitati anteponeret. Tantos ergò utili-
tatum, honorum vè in Rempub. ex patria redundantes rivulos,
tanca commodorum flumina, si pater prohibeat, occludat &
inarefcere faciat, his tam necessarijs nervis si patriam de-
privet & spoliat, omnis vite communionis profluentiam
aridam sicciamq; reddat, quis injustè eum à filio trucidari?
quis

quis pietatis fines transilijisse filium hic affirmabit? Quid enim, Auditores, vestrum ego consilium invoco? quid, inquam, quod si ad evertendum religionem, ad disciplinam tollendam, ad liberos occidendos, ad uxorem suprandam hostili animo venerit pater, ecquid ei parendum dicetis? non minus opinor, quam lupo in gregem griffanti. Hac & alia meditari, ne dicam, committere & perpetrare flagitia, turpisimum leges judicant. Turpe etiam dicit lex, hanc cædis pruriginem non incidere, hanc patriæ flammatum non restinguere, hoc Reipub. odium non evellere. Culpa enim arguunt atq; convincunt eum leges, qui tanquam è specula futurum emergens malum, certissima vita pericula, evenitus rerum tristissimos prospiciens, nec summo tamen studio, cum prohibere posset, prohibet. Sed filius hic cum posset prohibere hunc patriæ miserrimum interitum, non antevertit & prohibet, improbum genitoris conatum non competit, gladium patris vagina vacuum, & in perniciem patriæ vibratum non inhibet, urbem igni & internectioni tradi, turpisime sinit. Quæ ergo culpa hunc filium non reum faciet? quæ contumelia eum non comitatur? apud quos ejus fama non lacerabitur? ubi, & apud quos non scommatum & convictiorum plaustris onerabisur? Talem filium sublata accusabit religio: eidem violata leges diens dicent: contaminata disciplina eum in jus vocabit: convenient eum ante tribunal DEI tot è corporibus violenter excedere coactæ animæ, tot scelere & adulterijs coinquncta corpora, & hunc persequentur, non tidis ardentibus, sed angore conscientia, vindictamq; ordine divinitus sancito à DEO petent. Planum me fecisse, Auditores, arbitror, & jure humano, & jure naturali, Patrem patriam fluctibus objiciencem, filio impunè licere occidere: cum & pra-

E pramio hic interactor sit insigniendus: culpa autem & contumelia, deniq^z, divina vindicta eum filium, qui patriam tueri adversus ejus vastatorem nolit, maneat & sequatur. Agite igitur, Auditores, sicut membra quedam putrefacta uruntur & in totum eradicantur, si & ipsa sanguine ac tanquam Spiritu carere & reliquas corporis partes labefactare aut corrumpere cœperint: Sic si Rempubl. salvam volumus, statuamus, perditissimos cives patria mortem inferentes, etiam ab ijs, quos progenuerunt, rectè extirpari, & istam in figura hominis feritatem & immanitatem bella à communione tanquam societate corporis rectè segregari.

D I X I.





Oratio Tertia.

Non nostrum inter vos , tantas componere
lites. Liceat enim mihi apud vos Commilito-
nes, Poëte illud hic usurpare, deg me in tanto
gravissimorum hominum consensu , acutissimo-
rum judicium presentia fateri. Quam enim
graviter in utramq; partem agitari possit illa,
nobis proposita questio : credo Auditores, jam ab illis qui dixe-
runt, si non expressum , tamen delineatum aut certe adumbra-
tum esse. Ac ruer utring pugnatum, alacriter disputatum, con-
stanter defensum, ut vel utrig, vel sanè utri horum assentien-
dum vix repererim , Nam & quam mihi ex guum sit ingenium,
quamq; imparatus ab ijs sim artibus , quibus tanta tamq; gravis
causa eget, facillimè intelligo. Lingua adest, sed inexpedita, verba
sed impolitares sed nuda. Desunt Rhetorū pigmēia, lingue orna-
mēta, floscuti verborum, elegantia rerum, & ut compendio dicam :

Invida me spatijs natura coercuit arctis

Ingenij vires exiguaeque dedit.

Itaq; tertie si res ad verum exigatur ; onus humeris impar , pro-
vinciam viribus ampliorem suscipere me vereor , hecce si vel mea
sententia explicare , aut verbis ulterioribus illustrare contende-
ro. Sed si quid tamen conjicere possum (quod tamen non arro-
ganter dictum velim) si quid, inquam , conjectura aequi pos-
sim , videmini mihi commilitones, uterg, quidem juam causam
egregiè & strenue egisse ; verum limitatione seu additione qua-
dam

dam utriusq; sententiam indigere. Neq; tamen dum hac di-
co, eut oratione mea quale id sit ostendo, Clarissimis Themido s.
nostra antecessoribus, à quorum prudentia hac decidenda vide-
batur questio, quicquam prejudicatum volo: sed breviter &
nudè meam banc de re apud vos sententiam propono. Sunt
enim, ut scitis Auditores, hac bujusmodi, in quibus ingenium
& Orationem sine crimen & scelere juventus studiosa exercere;
absq; culpa, si rationes habuerit probabiles, ab alijs dissentire;
& tamen si dissenserit praeceptoribus recte judicium relinquere
possit. Itidem ego cum in praesenti questione faciam, vestram
denuò attestore acclamo benevolam praesentiam, praesentem bene-
volentiam, rogans ut banc orationis mea naviculam, fluctibus
verborum tremulam, aurā lenitatem & humanitatis vestra suble-
veris, neq; in dicendo minus paratum, vestra attentione benigna
provebatus. Ego enim sic statuo Auditores, vix ad optatam
veritatem pervenisse hunc, qui filio patrem adversus pa-
triā nefaria molientem interficere concessit, sed caute in hac
parte agendum; & si vel maximē tamē patrem filius occiderit,
tamen ejus parricidium non delendum vel defendendum esse, imo
nec tolli nec deleri ullo modo posse. Ac principio quidem Au-
ditores, illud vos mecum censere statuo, estq; adeo & quum, illas le-
ges que non tantum quo ad certas facultates, sed fortunis omni-
bus, ipsiq; hominum vita incommodant, non sanè à primo quod
dicitur limine introspiciendas, sed altius perpendendas examinan-
das q; usq; dum ejus de animā hoc est vera ratione nobis constet.
Ut maximē enim verba legis generalia sunt & multa plura admit-
tant quam ratio legis: tamen si ratio nota est, cessante ratione &
causa legis, legi, hoc est verbis, locus non est; ideo scilicet quod
lex que extra sunt non voluerit. Videtis id factum in usuca-
pione. Cum enim jure natura & quum, neminem cum alterius
detrimento & injuria fieri locupletiorem, & contra natu-
ram, alterum cum alterius damno vellet locupletari: Hoc omne,
adeo;

ad eorum communem naturam Voluntarem inverttere videtur Usuca-
pio, eo ipso quod summo alterius damno, immo absq; ejus facto rei
dominium in alterum transfert. Recte ergo illa non nisi sum-
ma cum prudentia acceptatur, prudenterq; intelligitur. Pre-
terquam enim quod verba legis captanda non sunt, sed qua men-
te quid dicatur animadvertisendum, ut pote cum lex non sit quod
scriptum est, sed quod legislator voluit, quod iudicio suo proba-
vit & recepit: infinitè etiam absurdā sequentur, si simpliciter
lex illa esset scripta, & si simpliciter concessa esset, huius quantam
fenestram, hominibus ad aliorum bona invadenda patet faceret!
Securus nemo suis de rebus, immo ne tutus quidem esse posset; qui-
libet dominium sibi adiiceret, possessionem adscriberet, multisq;
technis uteretur: eò deniq; prorumperet hominum cupiditas, &
scelus, & iniq;uitas, ut non modo clam, verum etiam palam, vi-
dentiibus id ipsum dominis, ipsorum in bona manifesta depredatio-
nes fierent. Quo ipso etiam adductus Imperator Sacratissi-
mus, ne tot, tantisq; malis nutrimentum concessisse videretur,
hanc ipsam materiam suis constitutionibus certis limitibus con-
cludere magis quam incertis divagantem sedibus in aliorum
bona irrumpere voluit. Voluit inquam & tandem perfecit ut
jam cui libet patescat, non temere sed justo titulo, non malitia sed
bona fide, non quovis tempore, sed certo & determinato, hoc ipso
rerum dominia acquirendi modo, id quod nostrum est, ad aliud
recte transire. Simili modo, & quidem eadem prudentia,
si non majori, & hanc, quam Commilito recitabat, legem intelli-
gendar, quis diffitebitur. Nullus sane, nisi qui vel betā stupi-
dior vel ipsi Tygribus horridior. Lex enim hec est qua non
aliquibus sed omnibus omnino bonis. Lex hec est qua non
veritatis sed pietati. Lex hec est tandem qua non fame sed
vita hominis incommodat. Cujus autem hominis? non pere-
grini, non hostis, non amici, non consanguinei, non fratri sorori
sive, sed patris, patris inquam vitam concernit; non illam pro-
longando, non illam defendendo, sed penitus ē medio, medio

autem vivorum districto & sanguinolento gladio tollendo. O
patris sanguine non verò atramento scriptam, si sine cautione in-
tellige debeat, legem! O infensum juri natura rescriptum.
Merito contrate voce sua usus Poeta: nec immergo cum illo
& nos exclamamus.

Dij precor & pietas, sacrataq; jura parentum,
Hoc prohibete nefas sceleriq; resistite tanto.

Quis vero te tua cum crudelitate recipiet; sanguinem patris si-
tientem hospitio exciper, & non potius ad Idalios Indos, ut tui-
turg, consilij memoria obliteretur, relegabit? Quis tua te liber-
tati relinqvet, frenosq; laxabit & non potius constringet retrah-
betq; quo tanta tua immanitas & immanis crudelitas non ex-
crescat, sed certis circumscriptis limitibus contineatur? Frenos
impietatis laxaret erga parentes, tibi frenos qui non inijceret. Im-
mo si summo illi sermonis Latij parenti credimus, calumniator
effet. Ista enim inquit: Scriptum sequi Calumniatoris est:
boni verò judicis, voluntatem scriptoris autoritatemq; defendere.
Quae lex enim quod scriptum, quod Magistratus Edictum non
infirmari aut convelli potest, si ad verba deflectere voluerimus,
consilium autem eorum qui scripsierunt & rationem & autorita-
tem relinguamus. Non enim ex verbis pendet jus, sed verba
serviunt hominum consilij & autoritatibus; nec verba veniunt
in iudicium sed ea res cuius causa verba in leges conjecta sunt. In-
iquus ergo qui non benignus sed rigide, non prudenter sed frigide
hanc legem qua filio permittit ut interficiat patrem qui ad pa-
triam delendam venerit interpretari conetur. Sed inquis,
qua est ergo illa quam ita extollis aequitas? Hanc puto esse:
non concedendum filio ut occidat patrem, qui ad patriam delen-
dam venerit, quam si in angustias, easq; praesentissimas incideret
Respub. ut nisi per eadem patris à filio extrema urgente necessita-
te factam, per nullum alium patria consuli possit. Illo enim
casu qui peccare patitur peccantem, vires subministrat audacie.

Alios

Alias verum est, eis non ut cereo nase aut folio Sybilla, sed ut la-
pidi Lydio, Lesbie regula & Mercuriali statua inherendum,
quod fatus alicubi loquitur, tum demum ad illicita descendendum
media, ad licita per venire quando non data sed denegata facultas.
Scelus enim est, & si quid scelere majus & atrocius dici potest, si
quis vicum cogat, à quo jure quid petere possit. Via hac impia est,
Impietatem autem quis admittet? Hujus enim pena tristis &
preter eos eventus qui sequuntur per se ipsa maxima est. Via
hac extrema est, extrema autem primo loco nemo tentavit in-
quit Seneca in Agamemnon. Sexcentis vero alijs modis
modisq; licitis Rem publicam delendi animo obsecram, liberari posse
non est quod dubitemus. Aspiciamus exemplum Coriolani a-
pud Livium. Hic enim quarevis acriter contra patriam pu-
gnabat sibi, ut duci exercitus turpe fore putabat si vel verbis o-
ratorum, vel supplicationibus sacerdotum velatorum, vel lachry-
mis mulierum moveretur, tandem tamen ex quodā familiarium
cognoscens matrem cum conjugē liberis q; adeisse, non moveri tan-
tum se passus est ut illorum in complexus rueret, sed etiam ser-
mone precibusq; adeò motus ut fracto animo retrò ab urbe ca-
stra moveret. Audiamus & Senecam. An tu Popili, inquit,
si Antonius jussisset patrem tuum occideres? potuisti excusare
te, potuisti primitere aliquem, ut scires & fugeret. Et rectè
qui enim potest obviare delicto, proximū primumendo ut caveat,
si non facit peccat & tenetur in foro conscientie & animæ. Et
non caret scrupulo societas occulte qui futuro facinori obviam
non ivit. Patrem ergo moneat filius, non laceaset; Patrem mo-
neat, non occidat. Patrem conservet non vero perdat, pieta-
tem abiciens, illicita licitis preponens, impia foveans, turpia perpe-
trare non reformidans. Vides carnificem, quod genus homi-
num Aristoteles in polit. lib. 6. polit. improbum vocat, quodq; vi-
ctum & amictum suum humano in sanguine querit, hoc tamen
genus hominum vides non abrumper maleficio caput, nisi Me-
gistra;

EJ

gistra;

• *Prostratus jussu & qf. necessitate coactum, cum nemo qui id faciat,
sit alius.* Quanto crudelius in patrem saviet ille filius que
nulla urgente necessitate, alijs banc provinciam praripit & sub
pratextu ac si patria salus hoc in ipso verteretur, oculis manibusq;
patrem ad cedem destinat ejusq; sanguinem crudeliter & impie
profundit. At vero verissimum est, adeoq; extra dubietatis a-
team positum; malum malo non esse tollendum nisi hoc extrema-
urserit necessitas; illud scilicet tempus quo in tantas rerum peri-
culorumq; angustias dejecti ut vix ac ne vix respirare & emer-
gere possumus. Imò ubi jam nulla aliadantur & conceduntur
media remediarv, sed hec unica patescit via, ut vel moriamur
ipsi, vel certe ei qui mortem minitatur, reluctemur ipsi. Eo n.
ipso, cum malum tollitur malo Justitia divina violatur, qua non
vult ut malum malo retribuamus; sed, cum ejusmodi delicta
non ex hominum integritate sed depravata ipsius natura profici-
scantur, hoc efflagitat, ut alter alterius defectui ignoscat, vita
qua tegi possunt potius contegat quam propaleat, omniumq; boni-
num, tam recte sentientium quam depravatè opinantium judi-
cij exponat. Dices, DEVS est justissimus iudex, remunerato-
r^r & qvissimus? Atqui hic peccata peccatis puniit, scelera sceleri-
bus retribuit, cur ergo & nobis non concessum? Cur filio pa-
trem, qui patrie interitum & ruinam parat pena talionis perse-
qui fatigat ejus festinare non sit licitum? Quis tu vero o homo,
qui te comparas DEO? quis tu, qui in re tam ardua à judicio
DEI imperscrutabili ad pervestitabile, à justo ad injustum trahis
argumentum? Dives est in misericordia, magnificus
in Justitia, munificus in gratia Dominus DEVS noster, inquit
Berthardus, non es & qui similis sit elli: munerator copiosissimus,
remunerator & qvissimus: gratis respicit humiles, justè judicat
innocentes, misericorditer etiam salvat peccatores. Tu vero hec
imitari, tu ex his argutijs tuis argumentari potius quam mirari
desideras? Jam vero si filius occidens patrem, qui pernituisse
patria extremam molitur, quid alia agitur quidque peragiur
quim

quām ut malum tollatur malo? Interficitur is qui in patrem
impius: interficit is, qui itidem impius in parentem. Inter-
ficitur is, qui hostis erat patria; interficit is, qui hostis itidem
patri. Interficitur, is quem homo volebat; interficit is cui Deus
hoc ipsum denegabat. Annon hoc est malum malo tollere?
An vero non hic est filius, qui hoc perpetrare, qui hec & nature
& Deo contraria designare voluerit? Esto vero, pretendat fi-
lius periculum, pretendat necessitatem, pretendat deniq; quod
solus, solus vero fuerit qui nefario, immo scelerrissimo hoc facto pa-
triam liberare potuerit: tamen id parricidium nullo modo pro-
bandum esse, nunc demonstrabo. Atq; initio quidem summe, hoc
impium, & iab homine Christiano, quire non nomine talis, maxi-
mè alienum, immo cane pejus & angue fugiendum esse, nemo diffi-
cilebitur. Cur id? Verbo dicam: quia facit contra illa, qua
huic summa immo divina virtuti maximè competunt. Illa, e-
nim ut hoc tantum, postulat esse nempe Deum parentesq; &
proximum legitimo & debito bonore prosequendos: ita & hoc
unicum in facto isto si desideres, ipsi vix, immo nunquam pietas ad-
stipulabitur. En vero in patrem facinus committit, qui tuo-
rum membrorum dominus: quid membrorum? In patrem
committit qui tua fortuna; quid fortuna? In patrem, qui tua
salutis, quid salutis? In patrem qui tua vita, vita inquame-
sator & autor est. Patrem ergo interficies mactasq; eum
quem pietas jubet honorari; patrem quem amor colere; patrem
quem observare non interficere uno ore exclamant omnes. At
ex necessitate cogeris hoc facere? ex necessitate inquis, que cum
durum telum, immo ut Lyricus ille canit que-

Clavos trabales & cuneos manus

Gestat ahena, nec severus

Uncus abest liquidumque plumbum.

Quae extrema recusat, legem reijcit & sibi ipsi lex est. Magno
vero, auditores, id ipsum sit humana infelicitatis patrocinio; nec
tamen

tamen eventu tolli potest id parricidium. Remedyū enim grā-
stiam perdit quicquid morbo gravius ledit. Itaq; Syllam con-
demnat Seneca, qvod durioribus remedyis, qvām pericula erant,
patriam sanaverat. Digna erat soror Horatiū acriter puniri: im-
piē tamen eadebat manu fratris qvē cujusvis alius manu piē ce-
cidi^{ps}. Et impie fecerunt aliquor Apollines Romani, qvi Henricū
quarti, filios contra patrem in arma protruserunt. Multo ergo
magis & hic noster parricida, qvi sane non sororem interfecit, fi-
lios contra patrem bella moveare stimulis acutissimis compulit; sed
ipse, ipse verò proprio motu, sanguinolenta sua manu parentem
adortus miserè impieg^{ps} interermit. Sed & honestati reclamat
ut filio patris jugulandi potestas fiat, est enim; ut diximus, id: p-
sum impium. An verò quidq;am honestum qvod fundamen-
tam Resp. ipsam honestam convellit? In parricidio, inquit Justi-
nus lib. 26, nulla satis causa ad sceleris patrocinium praecepit.
Et Sophocles in Electra, turpissimè occiditur pater, sive jure sive
inuria fiat. Unde nec imperiunenter illud, quod Eloquentia pa-
rens in oratione pro Balbo ait. Est aliquid qvod non oporteat
etiam si licet: quicquid vero non licet, honestum non est, ideoq;
non oportet. At non quicquid licet id & honestum est. Sed
quid contra pietatem? quid contra honestatem hoc ipsum dixe-
rim? imò contra communem omnium matrem naturam, qua du-
ce nos omnes veki oportebat, acerrimè pugnat, illam q; oppugnat,
ledit, devastat. Illa enim cum exigat à liberis, ut present ea
qua à parentibus acceperunt; non sane hoc vult ut districto gla-
dio eos interimant qvorumq; beneficio vivere inceperunt eos ē
medio tollant sed ut donum pro dno, & qvod, ut paulo ante di-
cebam à parentibus acceperunt hoc ipsum uberiore mensura red-
ant. Tu vero, qvi filius es quid non acceperisti à patre tuo? Un-
de vitam? à patre? Unde alimenta? à patre. Unde vestimenta?
ab hoc ipso. A patre est quicquid es, qvicquid habes, qvicquid
eris. Quia ergo te natura qui vive genus docuit, ut patri pro
vita

vita mortem, pro alimentis famem, pro vestimentis perniciem, reddere percupias? En omnia si reddas patri, tamen nondum affecutum te esse gradum paterni officij vel minimum, verè Stoico crede. At hic filius occidit patrem. Filius parricida, natura devastator, virtutum oppugnator. Dubitatis? Audite sum. mun illud Latij sermonis Rhetorumq; Dynastæ etiam antea adductum testimonium. Magna, inquit, vis est humanitatis. multum valet communio sanguinis, portentum deniq; certissimum est, esse aliquem humana specie & figura qui tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos banc suavissimam lucem aspexit, eos indignissime vitâ privârit. Et Tacitus, aversatur, inquit, humana natura etiam illos qui parentibus ob perduellionem dicam scribunt. Atq; hic mibi in mentem venit alicuius propriodum incredibilis narrationis. Ferunt cuidam patri tres fuisse liberos, ex quibus duos maximos natu pro suppositijs habebat; is moriens fecit testamentum, ut, qui mortuos sibi cor jaculo emiso quam proximè attigisset, ex asse heres esset. Moritur deinde pater; filij duo natu maximi testamento patris standum rati, erigunt cadaver ad arborem, idq; ibi alligant. Et jam jam expediturierant jacula, eum ecce minimus natu, largè profusis lacrymis tantam impietatem deprecatur, confirmans se potius duobus natu maximis fratribus, totam hereditatem cessurum quam commissurum ut tanto tamq; in expiando scelere cadaver patris contaminaretur. Illi autem contradicere, & servari oportere testamentum patris, vociferari, hanc esse impietatem, qua nolle ultimam voluntatem patris esse ratam. Defertur res ad Regem, ni fallor Alphonsum, hic cognita causâ pronunciabat, minorem natu filium quam proximè cor mortui patris sua pietate attigisse, atq; hanc fuisse meatem testatoris; Itaq; & natu minimo Rex totam hereditatem adjudicavit. O naturæ judicium planè admirandum quæ hoc nobis in clamat, fieri non posse ut filius patrem suum vel mortuum injuria afficiat, nedum ut manibus

F

fuis

suis imp̄is eum trucidatum ē medio vivorum tollat! O v̄. iudicent
et q̄vissimum qui magis ad mentem quam verba defuncti respe-
xit, illum recte quire & amore, non ore & are cor paternum
attigerit, beredem pronuntians. Impios vero, imo verē supposi-
tis illos, qui cor paternum magis, quam, quae relicta, heredita-
tem dividere percipiunt. Cur te o terra non aperuisti hosq; ex-
extremē imp̄os devorasti? Cur te o sol non demissisti hosq; te indi-
gnos consumisti? Cur o dies, his ortus? cur luna? cur stella, cur
inquam hocce nature monstrum in perpetua mentis & montium
saligint potius titubare quam sagittas jaculag; ad cor, cor autem
illud paternum, emittere non judicas sis satius. At forte banno
percussus est pater iste? Huic enim omnia humanitatis jura vicis-
siud nesci officiorum & commertia denegata: Huic aqua &
igni interdictum & via denegata: Imo hic cum a pace publica
exclusus, extra protectionē juris communis & totius Imperij ver-
satur atq; a quo vis, cui obviam factus, impunē occiditur. Si-
ut sit, banno percussus sit, rejectus a populo, ejectus a Rege, proje-
ctus a civibus; tamen iura gentium & naturae ipsi manent inte-
gra. Non enim tanta juris Civilis vis tantusq; vigor, ut jus
naturale evertat, illaq; qua in ipso rerum natura radices egerunt
evellat. Civilia civile tollit, naturalia non utiq; sed bac ut in
genero suo certa permanent, ita firma fixaq; in parente servabun-
tur. Jura vero naturae negant tale quidam in parentem com-
mitti debere, sed a factis eiusmodi abhorrent, illa detestantur exec-
rarenturq; honores, existimationem, vitam deniq; longevam ea
denegant, qui tantum, tam immensum & inauditum facinus
perpetrat. Ac profecto, si non minus incestus committitur cum
exilibus agnatis quam domi, adeoq; in civitate non foris deten-
sis: omnino statuendum est propter exilium patrie filium non
liberari a parricidio. Ac si frater landatur, qui, stante statuto,
fratrem deportatum, si in eum incidat non quidem interficit, sed
comprehendit; quanto magis execrandus erit filius si patrem,


patrem:

patrem inquam, ad delendam patriam licet venerit, interficiat,
oblitus arctissima qua inter ipsum & patrem est communionis.
At, inquis, patria est preferenda patri. Et hoc nemo negaverit.
Quis verò simul concesserit, ut illo ipsa tam divina quam huma-
na violes precepta? quis probaverit, ut à pietate ad impietatem, ab
amore ad odium, à defensione ad vindictam, à justo zelo ad furo-
rem, à furore aenig, ad extremum vita patris periculum defle-
ctas, inq, aeternos cruciatus illo quod pium, quod justum, quod
honestum esse debebat, facto conjicias. Nec enim capienda in
rebus malis praeceps via est, nisi eadem sit impietate minus im-
pedita. Vbi turpis medicina est, sanari piget, vox est Seneca
Tragici; Malaq, non quis faciat bona ut eveniant, voluntas est
Apostoli. Jam verò viam precipitem turpemq, imo turpis
Medicinam ducunt omnes si injuriam patrie illatam quis
vindicare tentet parricidio; omnes, inquam, judicant quibus,
ut Poeta verbis utar:

Vel est Diva parens generis vel Dardanus autor,
Et non illi, de quibus idem, quod ex duris Caucasi cautibus nati,
quibusve Hyrcana tygres ubera admoverant. Vnde ergo hu-
jusmodi homicidium honestati? unde patrie commoditati? unde
liberorum pietati conveniens est? Imo turpe, in honestum, im-
pium esse tecum dicitis. Dicis & tu, qui quondam in Romana
sede Pontifex, Stephane, dum in mundo omni infamia notari
eum debere sancis, qui vel contra patres armantur: armantur
inquis, cur non multò magis eos qui medio ex horum cætu eos
tellunt, tristig, & impio gladium vitam abripiunt? Atq, bec-
quam exposuit, Auditores, mea est de proposita questione senten-
tia. Ex ijs enim quæ diximus nemini vestrum obscurum arbit-
tror, esse quidem filio in defendenda patria ita versandum ne-
pietas divino & humano jure munita nisi propter extremam ne-
cessitatem offendatur; Et licet vel maximè necessitatem filius pre-
sendarat, esse tamen factum illud filij per se impium, nec laude nec
premio dignum.

Jam

Jam ergo cum è nostram , unde pro vœta , ratem redisse
persentiscimus : magnas vobis nos debere gratias Auditores, arbi-
triamur, quod relictis gravioribus vestris , publicam privatamq;
commoditatem concernentibus negotijs , nostrum hoc exercitium
honorifica presentia exornare , vestra benevolentia aura subleva-
re, benignaq; attentione illustrare dediti non fueritis. Hujus
in recompensationem vobis viciß. m ad fama fanum non Cupressi,
non Taxi, sed Lauri & Myrthifolia perpetuo virore frondescen-
tia, nomen vestrum agnoscentia , cum bonore & reverentia lau-
dibus plenioribus extollentia cælog, inferentia , sumus sacraturi
& licituri, subjectissima seruiciorum oblatione , addictissima
efficitorum sponsione . Quod restat te D E U M ter omnipot-
tentem oramus, tibiq; supplicamus ut , cum omnis boni dator sis
& autor, nativiq; illius erga parentes amoris sator, uniuscu-
jusq; mentem & animum ita informes, ut non per viam deviam
impietate funestog; animo in suos feratur, illi divinitus insilio
amori omniq; adeo honestati resistat sed hanc amplectatur, foveat,
exsculetur. Cumque bujus ad rei fundamenta , artium
facultatumq; Doctores & nutritores desiderentur, utpote qui
ab innata illa mētis caligine depravataq; natura hominem ad re-
ctam honestatis & virtutum lucem deducant, via sentesq; qui-
bus inquinati, removeant ; contendimus horum omnium Rector
& defensor sis , atq; ita hac omnia regas ac defendas, ut rejecto
malevolorum & superborum, invidorumq; latratu & morsue
ca qua tibi tuaq; quam foves Tibi devoves Reip. olim
grata sunt profutura , singuli expeta-
mus faciamusq;





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728268612/phys_0045](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728268612/phys_0045)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728268612/phys_0046](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728268612/phys_0046)

DFG

27.8.58





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728268612/phys_0048](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728268612/phys_0048)

DFG

at transformationes in lupos vel similes effectus producent
lib. divinor II.

Unum nota, scilicet: Quæ divina vi præter naturæ
gicis lusibus toto generè sunt separanda. Item, Quæ miraculo fi-
tura modum non sunt judicanda. Confer lac. Mart. ex. meta-

Tandem statuimus cum Bierm. th. 41. de λυγε-
ribus μεταμορφωσις tam multum celebratis, dominari in
sevitium Diaboli, qui impios quidem omnes ad dissolutam
quorum animos per vim tenet (in primis quos beneficio, poti-
rationis mutua sibi familiariter devinxit) eos ad facinora
sed & beluino apperitu terroria impellit. Talem immutati-
Sarmatice provincijs (de quibus magna λυγερθεωπιών
vare licet, non figuram aut formam sed appetitum humanum
fer hoc Arist. 7. Eth. c. 1. & 6. Item sententiam quorū
qui λυγερθεωπιών habent loco alicuius affectionis, eamq;
depravatae phantasie seu imaginationis, cuius rei exempla
Lemmius in lib. de humoribus.

Reliqua, que de magicis rerum conversionibus circumfe-
quam visa esse, aut si qua visa sunt, non rem videndam sed o-
scino fuisse oblatum; aut si inviolatus persistenter oculus, rem
fuisse subductam, illamq; illam in locum substitutam plane af-
ficitur.


Nam (ut hoc breviter saltem ex Vairo lib. de fasci-
Dæmon mille artifex, divinâ potissimum si gaudeat permis-
neri egregie imponere, vel 1. sensuum vires obnubilando, n-
suum objectum est, pertingant, vel 2. objectum ipsum occi-
aliud ostendendo, vel 3. oculorum humores corrupendo,
piant, quam est, vel 4. aerem intermedium condensando, if-
gestit exhibere, assimilando, Exempla ubiq; sunt obvia.
August. de civ. Dei l. 18. c. 18. Luth. in expos. Decal.
l. 3. c. 10. l. 4. c. 22. seq. Godelm. l. 2. c. 3. p. 24. Horst.
quæst. 9. Casman part. 2. angel. p. 531. Egregium aute-
plum vide apud Georg. Sabinum. l. 7. metam Ovid.

Quæstio VIII.

An Dæmones verè cum Magis congre-
diantur num veram queant procreare sbolet

Et hos persuasum est multis. Patentur enim Maga

B 3



the scale towards document